

2. D. B. P.
MEDICÆ FACVLTATIS DECANI
J O. H A D R I A N I
S L E V O G T I I

M. D. ANAT. CHIRURG. ET BOT. P. P. ITEMQUE
MED. DUC. PROV.

Prolusio invitatoria

AD

DISSERTATIONEM INAUGVRALEM

DE

ICTERO CALIDO

EXHIBENS

FACILEM CERTAMQUE DIAGNOSIN HVJVS AFFECTVS
CVM ALIORVM DIFFICILI ET ERRONEA COMPARATAM
SIMVLQVE PERPETVVM HEPATI AD EIVS PRODVCTIONEM
CONCVRSVM DENEGATVM.

Ao. MDCCXVI Die VIII Novembris.

LITERIS KREBSIANIS.

Pathol. spec.

504,62

morb. spec 1895

MEDICAE FACULTATIS DECANI
JO. H. A. B. R. I. A. N. I.
SLEEVOTTII

M. D. ANAT. C. I. R. S. I. C. ET D. O. C. T. P. T. I. T. I. M. O. R. U. M.
P. R. O. F. E. S. S. O. R. U. M.

Prolegomena

AD

DISSERTATIONEM INVALENTIEN

DE

ICTERO CALIDO

EXRIBENS

LACILEM CERTAMQUE DIAGNOSIN HUIUS AFFECTUS
CUM ALIORUM DIFFICILI ET ERROREAE COMPARATAM
SINGULIS TERTIUM HEBIT AD HUIUS PROGNOSIN
CONCURSUM DENEGATAM.
A. M. D. C. C. X. P. I. D. E. V. I. I. I. I. I. I. I.

LITAEIS KRIBSIANIS



Q. D. B. V.

MEDICÆ FACULTATIS DECANVS

BENEVOLO LECTORI

S. P. D.



Nter res præter naturam, ab intus pariter latitante causa originem ducentes, quam ab externa injuria inductas, levemque vel nullam in diagnosi occupato Medico difficultatem, nedum errorem parientes, facile ICTERVVS primum locum tenet.

Quamvis enim febris, hydrops, & ad ἀκμὴν perveniens phthisis tactui & visui pateant, pleraque item exteriorem corporis ambitum affligentia mala, tumores, vulnera, ulcera, ossiumque fracturæ, & cutis vitia non æque σοχασμῶ, salutaris artis γνησίῳ ἀντιτίθῃς familiari, opus habeant: sunt tamen interdum aliqua ita comparata, ut, vel propria constitutionis culpa, τὸ ὄν eorum non minus, quam quantitas & qualitas artificiosam investigationem postulent: vel medenti quidem minime obscura sint, ab ægro tamen data opera dissimulentur, alienaque potius, quam consueta, illisque competente appellatione salutentur.

Posterioris ordinis exemplum sistit podagra, cujus nomen cunctis mortalibus ob physicas causas, multis etiam ob momles admodum odiosum est. Quis enim mortalium tam confirmatum, quid-

) 2

libet

portis

libet perpeti, animam habet, aut cui, sec. Horatium, robur & æs triplex circa pectus est, ut fideis oculis ferocem & vix superabilem hostem in suos artus, tanquam in hospitium, divertere videat: cujus insuper natales, ex Bacho patre, Venereque matre, obstetricante ira, vulgo derivati, ipsum infamant, honestatisque laudem affectantibus detestatum reddunt. Ut non semel divini verbi Ministros, & matronas, sobrietati per omnem ætatem deditas, levissimamque intemperantis ac dissolutæ vitæ suspicionem a se alienissimam cupientes, ægerrimo animo tulisse observaverimus, se in eorum numerum referri, qui per improbum vini atque veneris usum, iræque furiam, pedibus tumorem, ruborem, doloremque contrahere solent: ideoque petisse, imo serio postulasse, ut Medicus erysipelate potius, aut catarrho, alioque, melius nomen gerente, morbo eos laborare dicat, sibi & aliis persuadeat.

Non minus quoque illos in occultanda mali origine studiosos deprehendimus, qui ex impuro coitu dolentem inguinalium glandularum magnitudinem, spurcique & mordacis liquaminis ex petulante membro stillicidium reportantes, lapsum ex equo, nimium corporis motum, uberiores vini potum, & id genus alia accusant, semelque verecundiæ fines transgressi, juratis assertionibus Medicum circumvenire conantur, falluntque omnino, si omnium circumstantiarum & pathognomonicorum indiciorum negligentem exploratorem offenderint.

Ex prioris conditionis morbis, a visibili equidem causa, & sæpe in centum hominum conspectu natis, nihiloque tamen minus modo difficilem sui cognitionem, modo fallacem prognosin, modo utramque suggerentibus, unum & alterum, in præsentia, capitis affectum in medium producemus.

Excipiebatur juvenis, peregre adveniens, in foribus hospitii, fustibus, & in frontem ac utrumque sinciput aliquoties percussus, in terram, voce sensibusque privatus labebatur; sublevatus vomebat, hinc sibi per medicamenta paulisper redditus, ex naso & auribus cruorem emittebat, & nec fari, nec crustam panis masticare, aut percussionem fili, dentibus prehensi, tolerare valebat. Ut proinde nemo non ipsum insigni cranii fractura, & cerebri conquassatione laborare

borare

botate, vitæque præsentissimo periculo expositum esse crederet. Sed convalescebat feliciter, & absque notabili symptomatum afflictione; ut, elapso unius mensis spatio, inceptum iter proficeretur.

Simili fati benignitate gaudebat Studiosus Trarbacensis, cujus caput novem vulnera, a compotoris acuto ense inflictæ, exhibebat: ex quibus quatuor tantum cutem, quinque autem cranium penetraverant, ut nudis oculis cerebrum, profunde dissectum, conspiceretur. Hic a largo sanguinis profluvio multisque vomitibus admodum debilitatus, mortem, a Chirurgo & adstantibus annunciatam, vehementer metuens, submissa voce, ut vix intelligi posset, preces ad DEum fundebat, & male actæ vitæ poenitentiam agens, rogabat amicos, ut veniam ab illis, quos sua protervia læserat, eorumque fenestras, in proximo tumultu lapidibus excusserat, peterent. Fiebant hæc fere per triduum: quo superato, cum nil mali ex tot vulneribus nasci, appetitumque & vires sibi redire animadverteret, ut erectus in lecto sedere, & lingua expeditius uti quiret, deposita moriendi formidine, vocalissimus evadebat, histrionemque potius, quam ægrotum referens, diem jocando consumebat, & petulantissimis rerum, a se & sibi similibus sociis gestarum, narrationibus auditores cachinnis concutiebat, ut Chirurgus silentium imperare cogeretur, ne in deligatione per risum turbaretur.

Hisce duobus exemplis contrarium, funestumque morbi eventum Medicinæ Studiosus superiori vere experiebatur, qui, lapidibus in pago a rusticis petitus, vulnus in dextro sincipite accipiebat, quod ipse, per aliquot dies *de Joscadi* permanens, adeo contemnebat, ut indignum chirurgi cura æstimaret: donec, præter opinionem, & absque ulla apparente causa, cruris sinistri gangræna correptus, fati cederet. In hujus capite, judicialiter explorato, cranium fissuram, ab aure, trans temporum, sincipitis & frontis ossa, ad oculi orbitam excurrentem, exhibebat, ex sincipite particula cranii, ovalis figuræ, pollicem longa, a reliquo osse separata, introrsum pulsa erat, hærebatque portio interioris tabulæ cranii, duos pollices longa, in substantia cerebri, quod ibi, in putrilaginem conversum, effluebat.

Quis diffitebitur, etiam hic, ut in prioribus casibus, difficilem erroneamque diagnosis fallentem quoque prædictionem peperisse:

quarum plures, circa alios internos atque externos affectus occurrentes, adduceremus, ut per comparationem eorum, cum *Ictero* instituendam, quæ superius de eo asseruimus, clariora fierent. Sed prohibet angustia Prolusionis prolixitatem, & vix permittit, ut de *causis icteri* sollicitis, *hepatisque vitium* inter eas ubique urgentibus, trigam ictericorum sistamus, in quibus mutationem coloris cutis prius a massa sanguinis alterata, ortam fuisse, quam hepatis temperies aut conformatio lædi potuerunt, veritati simile videtur.

Alliserat Studiosus in tenebris cervicem trabi, ex pariete prominenti. Mane sequentis diei flavebat regio genarum sub oculis, nulla præterea in corpore animadvertenda ægitudine, quam postmodum metus & imaginatio acciebant. Cum enim a contubernali Philiatro, (per-jocum, ut arbitror,) audiret, ex hepate male affecto icterum, hinc cachexiam & hydropem oriri, ridebat equidem ab initio istam narrationem, quod ventri suo, capitique & pedibus non male esse sciret: sed volvens tamen animo tacite, revolvensque hoc saxum, tandem de firmitate suæ sanitatis dubitare incipiebat, & in prandio (sine dubio, ex concepto mœrore,) appetitum, præter morem, languentem experiens, contubernalem vera locutum esse credebat, tanta cum anxietate, ut, circa vesperam faciem & manus icterico similes habens, Medicum vocaret, qui ludicram ægitudinis causam audiens, nullumque in lotio vitium cernens, per bona verba, & misturam essent. balsamicæ, ligni aloës, & spiritus salis ammon. bis terve propinatam, oleumque anisi camphoratum, genis illitum, viginti horarum spatio ægroto animum pristinumque colorem reddebat.

Matrona honesta, & mitissimo alias ingenio prædita, irritabatur a maledica ancilla, ut, ultra modum, excandesceret. Sentiebat inde per aliquot horas, anxietatem præcordiorum; donec assumpta, & tandem magno conatu bilem evomeret, cum levamine quidem, sed, post horæ lapsum, totum corpus, imprimis facies & oculorum album, flavo colore obducta erant. Restituebatur intra paucos dies per essentiam rhabarb. cum arcano tartari mistam, & pulverem ex oc. C , S O lis ā ʒj, rad. ari ʒß, elæos. citr. & croci ♂ sacharini (mitissimi, procul dubio, & suavissimi vitrioli) ā gr. xii concinnatum, & in 8 doses divisum. Sed redibat, intra semestre, idem malum quatuor vici-

vici-

vicibus, ex eadem causa; donec materia altercationis domo pelle-
retur.

Ut penitus de hepatis ad omnem icterum concursu suspicio cesset,
prodeat juvenis, qui, post magnum corporis motum, largam narium
hæmorrhagiam patiens, ab aqua frigida, in nucham effusa, terrefa-
ctus, subito citrino colore tinctus apparebat, nil nisi aliqualem cor-
poris lassitudinem querens.

Plura habebit *Dissertatio Inauguralis* de ICTERO CALIDO
clarissimi & summorum in Medicina honorum dignissimi Candidati,

CHRISTIANI MÖLLENHOFF

qui A. O. R. M DCXC die XXXI Martii, Lubecæ, primaria inter
liberas S. R. I. & Hanseaticas civitates, a DN. CHRISTIANO
MOELLENHOFF, maxime venerando verbi divini ad sacram
Arcis ædem Ministro, & eximia Matrona ELISABETHA DRA-
VENIA editus, horumque piissimorum Parentum cura, non solum in
præclaro Gymnasio patrio, a Rectore, DN. ENOCHO SVANTE-
NIO, Con-Rectore, DN. MARTINO GOELDELIO, Sub-Recto-
re, DN. SIXTO CHRISTIANO LIPENIO, cæterisque Collegis, DN.
JACOBO PAGENDARMIO, DN. MARCO WIDA, & DN. MINO,
sed etiam, apud Luneburgenses, a meritisimis juventutis Moderatori-
bus pietatis liberaliumque artium fundamentis sufficienter imbutus,
anno MDCC XI d. i Martii, apud nos a magnifico Pro-Rectore, DN.
CHRISTIANO WILDVOGELIO, in Studiosorum numerum de-
center receptus est, & ex lectionibus Syrbianis logicis & metaphyficis,
phyficisque Hambergerianis & Teichmeierianis animum ad *ἔργον*,
studium scil. medicum, ita præparavit, ut postmodum illustris Sacræ
Cæs. & Catholicæ Majestatis, nec non Sereniss. Sax. Ducum Consi-
liarii & Archiatri, D. D. GEORGII WOLFGANGI WEDELII,
Hered. in Svarza, Theoret. PP. famigeratissimi, Com. Pal. Cæs. &
Fac. Med. Senioris gravissimi, cursui medico interesse, & lectiones,
methodum tuendæ sanitatis, & pharmaciam exotericam, cum caute-
lis, in praxi observandis, ut & institutiones, materiam medicam,
morbos infimi ventris, therapiam item universam, Sponiique apho-
rismos

* (o) *

rismos concernentes, recte intelligere, fructumque insignem ex Bibliothecæ instructissimæ demonstratione capere potuerit. Nec exiguum quoque studiorum incrementum se ex D.D. IO. ADOLPHI WEDELII, PP. ordinarii, Med. Duc. Vinariensis & Poliatri Jenensis celeberrimi, collegio institutionum, pathologico, semiotico, chimico, & formulari, cadaverisque masculina publica dissectione hauisse, gratus profitetur, laudatque simul fidelem D.D. J. JACOBI FICKII, PP. extraordinarii & Archiatri Vinariensis meritissimi, ad universam medicinam, praxinque per casus speciales manuuctionem. Meas vidit administrationes anatomicas & chirurgicas, domi in brutis, & publice in distincti sexus corporibus humanis exhibitas, eadem laude dignissima assiduitate & attentione, qua aliorum acroases accipere consuevit, collegitque sibi, ex tot memoratis discendi occasionibus, tam egregium eruditionis thesaurum, ut Deo & languenti proximo inserviendi maxime idoneus redditus, nunc jure promeritos honores ambiat. Quos impetrabit, si, post privata examina, etiam in cathedra, sub umbone magni WEDELII, strenue disputaturus, publicum applausum acquirat. Quod ipsum ut craftini horis locisque consuetis solennius fiat, honorificam magnifici Dn. Pro-Rectoris, totius Senatus Academici, omniumque Appollineæ artis fautorum præsentiam, me interprete, ea, qua par est, reverentia & humanitate expetit,

PP. sub Sigillo Facultatis, die VIII Novembris.

An. M D C C X V I.

